



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

De Secundo Præcepto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

Altera doctrina omnium virtutum, distribuamus & ipsas virtutes singula praecepta. Ad primum pertinet virtus, quae vocatur alias pietas, alias religio, sed facilius intelliguntur haec nomina, timor & fides seu fiducia dilectio Dei. Et quidam has partes necessario complectitur ea virtus, quae vocatur pietas. Pertinet huc & Patientia, internum nomen Pietas pene respondet nomini Iustitiae vniuersalis, vbi significamus eam obedientiam, quae Deo praestatur in omnibus eius mandatis, sicut postea dicemus, ad hunc finem, vt Deo obtemperemus, omnia opera referenda esse. Collocetur igitur huc & virtus, quae vocatur Iustitia vniuersalis.

DE SECVNDO PRAECEPTO.

Postquam in primo praecepto dictum est de motibus cordis erga Deum, qui sunt praecipuus & interior cultus, quia Deus requirit obedientiam cordis non simulatam, iuxta illud: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde. Item: Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Deinde secundum praeceptum concionatur de externa professione: Quia Deus vult innotescere, vult voce nostra invocari. Et sicut per verbum se patefecit, ita vult hoc verbum voce propagari. Ideo postquam de motibus cordis dictum est, nunc praecipit de illa voce, in qua sonat nomen Dei & verbum Dei.

NON VSVRPABIS NOMEN DEI VANE.

In primo praecepto ponuntur affirmatiua & negatiua orationes: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Haec est affirmatiua, cui addenda sunt & aliae affirmatiua: Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde. Item: Dominum Deum tuum timebis. Constitutis affirmatiuis, etiam negatiua seu exclusiua addenda sunt: Non habebis Deos alienos. Ita in sequentibus cum audimus negatiuas orationes, semper prius affirmatiua in primo praecepto expressam mente inueniamur. Hic verat Deus ab usum in nominis, & tamen vult hanc vocem propagari & innotescere, Ego sum Deus tuus. Sunt igitur veri vsus nominis diuini, vera praedicatione, vera invocatio, gratiarum actio, & confessio. Haec quatuor generum praecepti hic sciamus, & huic loco inseramus affirmatiua definitiua de his operibus, vt: Ite, docete omnes gentes. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & celebrabis me, seu ages mihi gratias. Corde creditur ad iustitiam, & ore fit confessio ad salutem. Haec dicta propriissime de his generibus praecipunt. Pertinet autem ad invocationem iuratio: Quia iurans inuocat Deum, vt sit reus voluntatis ipsius, quod non velit fallere, & petit, vt Deus sit vltor, & punit fallentem, & ad hanc poenam se obligat. Hinc intelligi potest, quantum